Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

igne consumemus. Tunc seuastus preses timens populum qui per eum
credebat in nomine christi misit nocte spiculatorem et in carcere de-
collauit beatissimum hermachoram episcopum et sanctum fortunatum archidiaco-
num suum. Quorum corpora colligens pontianus custos carceris et omnem cruo-
rem sanguinis eorum colligens in unum collocauit locum. Audiens autem hoc
gregorius cuius filium a demonio liberauit sanctus hermachoras et alexandria que
a deo illuminata fuerat: uenerunt nocte occulte cum linteaminibus mun-
dis et ualde preciosis et aromatibus condientes corpora sanctorum martyrum et sepelie-
runt ea foras muros ciuitatis aquilegie memorate alexandrie in pa-
ce. Uniuersi autem uenientes ad corpus beatissimi martyris christi hermacho-
re primi aquilegiensis ciuitatis episcopi quacumque fuissent infirmitate
detenti sanitatem receperunt in nomine domini nostri ihesu christi. Martyrizati
sunt omnes sancti martyres christi hermachoras episcopus una cum fortunato archi-
diacono suo. iii. idus iulii regnante domino nostro ihesu christo cui est honor et potestas
et gloria in secula seculorum amen. Explicit.

Passio sancti eustachii et sociorum eius

In diebus traiani imperatoris idolorum seruitia feruebant. et erat ma-
gister militum nomine placidus. natus secundum carnem gloriosissime
et diues ualde: tam in animalibus quam in auro et argento. et in
mancipiis. uel uniuersis rebus substantie huius mundi. Et quam-
uis in paganitate existens. inuentus est subuenire miseris uel
necessitatem patientibus uiuendi substantiam ministrare: ita ut
acceptabilis fieret coram domino deo in operibus suis. Et erat ex omni parte
illustris cum duobus filiis suis et matre ipsorum. Dum esset magister mi-
litum. bellator fuit et aduersus barbaros triumphator. ita ut audi-
tum nomen eius contremiscerent: et effugerentur saepius aduersarii
eius. et erat ei consuetudo uenandi. Et cum exisset cum pluribus.
quadam die apparuit ei grex ceruorum. inter quos erat unus pulcher-
rimus et in omnium decore mirabilis. Quem uidens magister mi-
litum. relictis omnibus qui apparuerunt ei. ipsum tantummodo perseque-
batur. Et deficientibus qui persequebantur secum euntibus in silua
condensa pertransiuit ceruus in uertice montis. stans super saxum
in locum altissimum. Et dum non preualeret placidus appropinquare
ad ceruum. stetit cogitans qualiter posset capere eum. Et dum consi-
deraret magnitudinem eius. ostendit deus magnum miraculum
super cornua eiusdem cerui. et apparuit signum sancte crucis super clari-
tatem solis illustrantem se: et uidit inter media cornua eius yma-